Antonius Archiep. Gnesn.

...arkowski B.

Ord. S. Benedicti Conv. Tinecensis Proregia co.

ona.

PROREGIA CORONA

1166

Celsissimi Principis

Illustrissimi, Excellentissimi, & Reverendissimi Domini,

D. CHRISTOPHORI ANTONIJ

COMITIS in SŁUPOW

SZEMBEK,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ

ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS,

LEGATI NATI; REGNI POLONIÆ, & M. D. L.

PRIMATIS,

PRIMIq; PRINCIPIS,

ARCHIABBATIS TYNECENSIS COMMENDATARIJ.

Fulgidis Vnionibûs

Illustrissimorum Antistitum, & Regni Procerum SZEMBECIORUM,

Colligatæ DOMUS, Peraugustaq; Prosapiæ Magnatum,

pro ECCLESIÆ ac PATRIÆ decore

INSIGNITA;

ABBATIALIBUSq; INTERTEXTA GEMMIS,

Votivo Carmine

à Regio Conventu Tynecensi, Ord. S. BENEDICTI

CELEBRATA.

Annô,

Quô, Regem Regum Rosa Mystica Virgo coronat. 1740.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

V.

IN AVITVM STEMMA CELSISSIMI & EXCELLENTISSIMI PRINCIPIS.



I.

Nativo fulget PRO-REGIA flore CORONA,
Quam triplici vultu pandit amæna ROSA.
CAPREOLI currunt agiles; ut constet, Iis quod
Ultimus hic non est, Celsus Honoris apex.

II.

Si certum: quòd Juno Rosas intulerat Astris,
Et quòd Zodiacus Capreolos foveat;
CAPREOLOS hinc, sivè ROSAS scruteris; in omni
Affinis Cælo, SZEMBECIANA DOMUS.

III.

ANTONIUS Spinis BENEDICTI Lilia jungit,
Purpureasq; ROSAS addit in omne decus.
CHRISTOPHORUS Numen Supremum pectore portat,
CAPREOLI fiunt victima grata DEO.

Celsissime Illustrissime, & Excellentissime PRINCEPS.

AD Majestuosam laudis tuæ Emphasim, quamuis Tibi magnis cum plausibus, Pro-Regium Primatialis Honoris Templum ingredienti, AVITÆ ROSÆ sufficienter exornent elegantiam viæ; attamen, quasi hæc parva

1169 adhuc videretur gloriæ ſemita, ipſe Coronatus Procerum Regni obviam Tibi procedit Senatus. Decet etenim tantorum Nominum Cætum, Celſiſſimo Tuo Aſcenſui plenis aſſiſtere vultibûs; ut & in Purpura conjunctus Sanguis rubicundiore reſplendeat Cælo; & in Tyara connexæ pretioſiſſimi Generis gemmæ, clariori præfulgeant lumine; & à Præſuleo Annulo, plenior in Regnum deſcendat Benedictio. Pro Regiæ itaq; Regni CORONÆ, eò profundiùs Caput inclinamus, quò Illa fulgentiùs eminet: *Roſeiſq;* Faſciculis in Campo Lechico aſſurgentibus, eum litamus cultum, quem ipſa requirit collectorum Excellentia meritorum. A florido literarum Hymetto, non alios ſolemnitatum deducimus applauſus; niſi quos melleum tuum ò PRINCEPS! ROSARVM TVARVM ſapit acumen; quæ Memphyticam Regalium Pyramidum altitudinem, æſtimationis excedunt pretio, proſpectu ſuo Mundum delectant, ſertisq; Cælum coronant. Sub illarum umbraculo, tota ſalus Regni quieſcit; Regum Solia, æterna gloriæ ſtatione perſeverant, ac Cælis contermina Celſitudine gloriantur. Illarum in folijs expreſſa Regni decora, aureoquê Sapientiæ imbre irrigata Florum conſpicimus Numina; Patricios ſcilicet Oratores, Legum Defenſores ingenioſiſſimos, Atticos Solones eloquentiſſimos,

Cyrô

Cyrô animosiores, Dariô præstantiores, Xerxe potentiores Duces & Principes veneramur SZEMBECIOS. Et hæc est jure meritò Petræ nostræ Tynecensis exaltatio! quia in illa extra plerosquè alios insculptam CELSISSIMI PRINCIPIS, Prædecessoris Tui Celsitudinem, Sanguinisquè purpuram, STANISLAI nempe SZEMBEK, PRIMATIS Regni, & ABBATIS TYNECENSIS, Cælis ipsis illatam intuemur, Nomenquè magnum Terris & Cælo spectabile exaratum colimus: quod quidem Nomen, omni laude majus, in splendoribus Sanctorum coruscat, SZEMBECIANOq; Virtutum Vireto serenis affulget radijs. Hujus PRINCIPIS inexhaustam liberalitatem, in Templa Arasquè Deorum effusas opes, toties sæcula mirabuntur, quoties vel ipsa Cænobij nostri triclinia, verissima Principis munificentiæ argumenta non sine stupore relegent, & revidebunt. Hanc Celsissimi Prædecessoris Majestatem, Tu o PRINCEPS! repræsentas; qui rediviva ac admiranda STANISLAI virtute refulgens, non facis sepultum tanti PRINCIPIS Nomen; quinimò vivam in Te veramquè Orbi universo Ejus reddis effigiem. Quapropter summis virtutibus clarus, DEO acceptabilis, cordis candore plenus, dum ROSEIS Sertis Tuis, hoc est incomparabili gloriâ & honore, vota Patriæ,

desideria Senatûs, Populi expectationem, Nostrumquè omnium suspiria coronas, permittes o PRINCEPS! ROSAS Tuas, Hoc amænum gloriæ Viridarium Spinis Sanctissimi BENEDICTI circumvallari; quæ ROSÆ ut semper sint in flore, Romuleaquè rutilent tutæ sub statione,

ita precatur perenni Voto.

humillimus servus

P. BENIGNVS BVCHOWSKI,
Ordinis Sancti BENEDICTI;
Nomine totius Conventûs.

PRO REGIA CORONA. 1172.

ATtingis PRINCEPS ſupremum culmen Honoris!
Quò Te ſublimat *Pro-Regia* digna CORONA:
Quod Roſeis campis exornat Gloria Regni,
Floræ Majeſtas quod celſa fronde coronat,
Quod nectit pompis aurati velleris *Agnus*,
Regia quod Tyrijs ſcintillis Purpura veſtit.
Tritis hæc PRINCEPS ſcandis veſtigia plantis,
Semita Majorum Tibi quæ virtute remonſtrat.
Idalius fulgor, quô Purpura PRINCIPIS ardet,
Pellit Hyperboreas de Regni ſidere noctes:
Et ROSA Sacra Dijs vernans in montibus Hyblæ,
Paſcit apes Patriæ, tum mellea ſæcula reddit.
Moribus ille color ſplendeſcit concolor altis!
Nec poterat pingi meritum meliore colore.
CHRISTOPHORI Nomen portans in corde Senator,
Magnarum monſtras virturum pondera Cælo!
De quibus ipſa legit laudes Eccleſia Sancta,
Quam validis humeris ſuſtentas fortior Atlas,
Nominis & propriam vulgas in ſæcula famam.
Nativos *Flores* divinas ſpargis ad Aras!
Floribus his *roſeis* nec candida *lilia* deſunt;
Scilicet intacto cordis candore triumphans
ANTONIVS, Cælum ſelectâ fronde coronas,
Et Regno gratos morum diffundis Odores,
Qui pretium Themidis præcellunt pondere juſto.
Non poterant Cathedræ *Cujavæ* ferre valorem!

B Ducere

1173. Ducere nec digno cultu gravitatis honorem!
Hinc est, quòd tantos *Pro-Regia* flore CORONA
Virtutum nectat radios, & ponat in auge:
Vt PRINCEPS niteas PRIMATVM Fronsq; Senatûs
Et tanto cingas ornatu Regia Sceptra,
Atquè Senatorum primaria Vota corones.
Aureus à primo Pactoli flumine clarens
Fons, & origo, sui generis fastigia pandit
GERLACVS SZEMBEK: Lydijs prædives in undis,
Irrigat amne ROSAS rutilas: emblemata florum
Cælo præsentans, Orbem complevit odore;
Dum plenus meritis, nativis fulget in arvis:
Ingenij radians pretiô, per signa ROSARVM
Evexit summi *Capricorni* vellus in astra,
Et varijs laudum conscripsit floribus horas,
Atquè coronandas præsentat in Orbe *Capellas*.
Quem CAROLVS Cæsar Gangetis prætulit Amni,
Fama Senatorum primæ annumerare Curuli
Non prætermisit: quem Cæsaris annulus ipse
Summâ pro gemmâ Marti monstravit & Orbi:
Illius fulgor virtutis terruit hostes,
Nexuit & victas proprio splendore coronas.
Spinas pungentes ROSA sævos misit in hostes,
Et frontem Patriæ viridanti germine strinxit.
HENRICVS SZEMBEK sequitur vestigia Patris,
Nec signis rerum gestarum deviat illis:
Martius Hector erat, primævæ Duxqvè cohortis,
Qui *Roseis* lauris Victor sua tempora cinxit.
FRIDERICVS SZEMBEK resonis præclarus in Armis.
Non cessit Clypeis, nec & hastas horruit audax!
Hic *Lombardorum* terror, Mavorsquè stupendus,
BOLKONIAS Acies *Mistenbergensia* Castra,
Lusu devicit! robustaq; pectora fregit:
Cujus ad adventum tremuerunt motibus *Alpes*,
Armorum crebris strepuit tinnitibus aura,
Belliger ipse, ferox, crepitantia tela cruentans,
Ad flammas largus, tormentis fulgura misit
Atquè sitim vincens extinxit sanguine victo.

Purpureus

Purpureus Flos Hic, proprijs excrevit in agris, 1124
Qui Roſeos Campos collegit robore tali.
Imperium plures Proceres virtute coronat;
Nam VENCESLAVS SZEMBEK pietate colendus
Gemma Sacerdotum *roſeis* connexa pyropis,
Qui *Moguntinis* Aris effulſit, & auxit
Myſta Sacer Leges: prælatæ Regula vitæ,
Dignus Apoſtolica vel Majeſtate nitere:
Verbi Præco DEI, doctus Sacra dogmata tractans,
Eloquijs *roſeis* attraxit Corda piorum,
Et novus Hymmettus prædulci munere mellis,
Pavit Apes, ac Elyſios transmiſit in hortos.
AVGVSTVS SZEMBEK, Comes alto Sanguine clarus,
SEDLNICIJS Mitris has gemmas addidit ABBAS,
Quas roſeus fulgor nativo lumine monſtrat,
Evehit & puro Præclara Bohêmia cultu.
Ingenij dotes RVDOLPHVS Marte *ſecundus*
CÆSAR honoravit: rutilum pietatequè pectus
Vidit in AVGVSTO, quem pinxit gratia Floræ,
Præſtantesquè ſimul virtutum ſparſit odores.
Cæſariem Cæſar roſeis his cinxit amomis,
Prætulit & Regno famoſam munere pompam,
Quam ROSA Dux florum diffundit in aurea ſcuta.
Inſignes faſces dat PRVSSIA BARTHOLOMÆO
SZEMBEK, cûi fidit locuples Fortuna potentes
Regni theſauros, opulentaquè pondera terræ:
Qui tamen in *Roſeo* vultu pretioſior aurô
Effulſit, fueratq; ſimul Frons prima Senatûs.
Evexit Cæſar MAXIMILIANVS honores
In PETRI SZEMBEK, præclari Nominis Ara,
In titulos *Petram* celebres, & Nobile ſignum
Europæ ponens; quòd fortior Herculis arte,
Lernæas hydras poterat virtute necare,
Atquè venenoſas Patriæ compeſcere larvas,
Monſtraquè de Regno circumvallata colubris
Pellere, tum capitum turbas delere potenter.
Vnde feras mactans PRINCEPS dum culmina ſcandit,
Sylveſtres CAPREAS venando retia tendens,

 Inſauſtis

Infauſtis vicibûs fatorum præda fuiſſet,
Ni ſcopulos mortis ſuſpectæ firmus Aheno
Magnanimi PETRVS muniſſet robore cordis,
Fallaceſquè feras mactâſſet acumine docto.
Non poterat præceps occaſus *Principis* eſſe,
Dum tantis luxit radijs *Aurora Roſarum*:
Hinc meruit Roſeum conjungi ſtemma CAPELLIS,
Vt *Roſa* perpetuo radiet cum *velleris* auro.
SZEMBECIANVS honor toto ſpectatur in Orbe!
Cujus fulgores in Regnum *Flora* Polonum
Diffudit, primo proſpectu viſcera Regum
Svaviter oblectans, Procerum ſimul aurea firmans
Pectora cum ſignis Regni, ſua ſigna ligando.
Nam ROSA complevit ſummum cum flore Senatum,
Progeniem Patriæ præclaro ſanguine tingens,
Dilatans folijs munimina, ſcutaquè mille.
Ipſe SIGISMVNDVS fuerat qui Tertius ævo,
Et VLADISLAVS qui *quarto* Nomine fulſit,
Regia Sceptra *Roſis* inſcripſerat atquè Coronas.
Tot CAROLVS SZEMBEK CASIMIRO Rege JOANNE
Collegit lauros, quot ſtravit vertice criſtas,
Conculcando Scythas tum Coſacoſquè rebelles
Vicit! & æternos obeliſcos ſidere junxit,
Ac ævum laudis Roſeo conſcripſit in Agro.
Extollunt Aquilæ Regales ſigna *Roſarum*!
In quibus ipſa Fides condigno flore niteſcit,
Expreſſumquè patet Nomen Numenq; colendum.
SZEMBECIANVS honor meruit cum ſtemmate Regnum
CAPREOLI dignam portant de flore Coronam,
Ex *Roſeo* genio decus immortale JAGELLO
Iunxit odoratis devicto Marte *Maniplis*,
Hoſtiles Acies CORYBVTHEA *Cynthia* Cornu
Expunxit; poſtquàm præſtanti robore Capri
Adverſum Martem vicêrunt! cardine poſtes
Procubuere minas ad tantas atquè furores.
Palmas & *Clypeos* SOBIESCIA Gloria flore
Szembeciô cinxit, quali Laurentia Chloris
Sudores Patriæ tergit, Regnumquè coronat.

Ensibûs AVGVSTI resplendet fama *Secundi!*
Pectoris immensi spectatur candor amænus!
Quem *Roseus* fidei cum lumine purpurat ardor.
TERTIVS AVGVSTVS Trabibûs qui fortior Atlas
Orbem sustentat, nec nutat Marte Polono,
Flore triumphales *Enses* simul agmina lauris
Compsit: quas Juno Saturni sparsit in imbre
Aura Jovis semper dotali flore fovebit.
SZEMBECIANA Domus Regales surgit in Aulas,
Est inconcussus Paries, Regnique columna:
In *Roseis* folijs sunt Propugnacula mille;
Nam generis splendor, præclara stirpe coruscans,
Magnanimos Procerûm nexus ac arma remonstrat,
De quibus ingentes terrores incutit hosti,
Atquè trahit post se summæ præconia laudis.
Est non vana fides, *Genus hoc*, genus esse Deorum!
Quod nitet Elisijs campis, & præbet in Astris
Auroræ roseam faciem: cum lumine Solis
Temperiem Regniquè Sabæo fundit odore,
Efformans Patriæ blandos vultusquè serenos.
Nec vivæ spirant, nec anhelant leniùs auræ,
Quàm dum pura dies *roseâ* sub luce nitescit;
Solvere quam nescit diffusis imbribus Auster,
Aût obduratus Nothus inturbare procellis.
Dives *Amaltea* cornu fit Jupiter ipse,
De quo Numinibus Divis fluit aurea messis.
CAPREOLI puro dum clarent velleris aurô,
Regno fundit opes opulento *Copia* cornu,
Clavas Herculeas, Mitras & Regia Sceptra,
Pontificum Vittas, roseo cum lumine vestes,
Chrysolitos flavos, ignitos atquè Pyropos,
Munera depromit; nec habebit talia Pontus.
Alpheus enarret jucundo murmure cursum!
Talia nec Pelepon, nec & Elis Olympia vidit,
Qualia *Capreoli* virtutum gressibûs æquant.
Passibus immensis incurrunt Turcica Castra,
Heròum sylvas frangunt, & Cornua Lunæ.
Balticus ipse Leo, vultu qui dormit aperto,

Horum conſpectum timuit: fugiendo per undas,
In medijs antris latuit quærendo ſalutem:
Vnica fama potens adverſas terruit Vrbes.
SZEMBECIANA Domus, Gedeonis *vellere* claret!
Signa notat pacis Cæleſti rore rigata:
Hoſtibus evictis Patriæ Capitolia celſa
Scandit, & ingreditur gaudens comitante triumpho.
Ipſa *Roſis* callem ſublimem Flora perornat:
Capreoli cingunt Phæbêâ cornua laurô,
Atquè triumphales ducunt ad ſidera currus.
In plauſus abeunt ſuperati fulmina Martis!
Proſtratæ turmæ formant ſub lege coloſſos!
Fama tubis magnum divulgat Nomen in Orbe!
Excuſſæ Martis nutant de vertice criſtæ!
Scuta repercuſſo rutilant per ſidera Phæbo!
Contremit in gladijs obſcurus fulgor & ardor!
Errantes flammæ ludunt hebetata per arma.
Gloria FRANCISCI SZEMBEK ſublimia geſta
Per *Sandecenſes*, *Camenecenſesquè* Curules
Extulit, & Regno decus addidit indè venuſtum.
Inſignis cujus nituit prudentia rerum,
Quæ primos Regni Proceres, totumquè Senatum
Traxerat in *roſeum* pretioſæ mentis acumen,
Et ſua pro merito redimivit tempora lauris,
Nec Nomen geſſit vacuum, quod duxit ab Aſtris!
Sic placuit Superis; ut Fundatore ſub iſto
Ordo Seraphicus in theſaurum totus abiret,
Magnificæ qualem teſtantur Numinis Aræ.
Regni PRIMATIS, SZEMBEK laus STANESILAI,
Principis emeriti Nomen ſublime ſilere
Neſcit! quod dignis *Tynecia* tecta loquuntur
Laudibus, & *roſeas* extollunt axe coronas.
Turris Metelli repetitis vocibus echo
(*Semper honos, Nomenquè tuum, laudesq; manebunt*)
Perſonet! æterni Benedicta Propago, perorat
Principis egregij Nomen, quod Fama per Aſtra
Sparſit, & Angelicis tradit lingvis venerandum.
Pontificis Magni benefacta ſonantibus auris
Intonat

Intonat ipſe Nothus, *roſeis* qui dormit in ulnis.
Quem placidus Zephyrus nigris revocavit ab umbris,
Et cum Sole facit claris certare coronis.
Nec ſimiles plauſus Cognatio *Cæciliorum*,
Nec genus aſſequitur Trajani talia dicta!
Hic PRINCEPS Patriæ fuerat Sol, Araque lucis,
Ingens delicium Regni, Regumquè levamen:
Hic firmamentum populi celebrisquè Columna.
Faſciculus *Roſeus* præſtantia Numina florum
Junxit, quæ Cælô ſanguis lectiſſimus hauſit.
In cujus *roſeo* Regnum ſplendore refulſit,
Tullius eloquiô conſcripſit Nomina Regum
Floribus in tantis: faſces & ſcuta trophæis
Compoſuit PRINCEPS vincendo prælia pace.
Sic Nomen geſſit PRINCEPS cum *laude* perenni;
Vt nunquàm poſſit Nomen cum *laude* perire.
Caſſiodorus ait, *ſunt diſſona Nomina Cælo,*
Si non concordant ſummo cum Numine ſemper.
Moribus hoc PRINCEPS complevit STANESILAVS!
Cujus in æternas laus concelebranda meavit
Auras, & *roſeis* commiſit floribus horas.
Hic PRINCEPS fuerat Pater & Protector egenis!
Rebus in adverſis, tribuit ſolatia ſumma,
Conjunctas docuit cum paupertate nitere
Divitias: Pietas quem Clero prætulit almo;
Cujus in exemplo Proceres ſua dogmata vitæ
Monſtrârunt Regno: nec in his Eccleſia Sancta
Vidit nutantes animos; imò rutilantes
Sub *roſeo* Cælo curavit adeſſe Penates.
Hic fuerat PRINCEPS miræ probitatis Imago!
Qui Majeſtatis plenâ gravitate refulgens,
Pondera virtutum, mentis trutinante bilance
Ingens in pretium librandum prætulit aſtris.
Verax in Sanctis ac immutabile verbis
Intonuit dictum: cultu faſtuquè remoto
Pro-Regis ſolio reſidens, mirante Senatu
Devicit *Curios* aſſertoresquè *Camillos*,
Patricio ſemper Regni ſermone perorans.

Dum ſe Divinis *Præſul* conjungeret Aris,
Ipſa gradus Pietas *roſeis* niveisquè Coronis
Cinxerat, immenſas lauros & vota refundens,
Famaq; Panchæos incenſi ſparſit odores
Et flammam cordis poſuit, pro lumine zelus.
Principe defuncto, reſonabat fletibus Aula!
Attonitæ ſteterant triſti ſub pectore mentes:
Ingens certabat mæror lachrymantibus undis;
Nec vinci poterat; niſi commoriente dolore.
Indoluit fatis compreſſo corde Senatus!
Divorum votô (quod dignum culmine Cæli)
Humanis rebus præreptum ſidus in Orbe!
Concepit meritus cæleſtes *Præſul* honores,
Manibus atquè manus conjunxit fletus amoris.
Quantæ virtutis fuerit de *PRINCIPE* vita?
Mors pretioſa ſatìs monſtravit ſigna *Roſarum*.
In quibus ipſa ſuam pompam conſtruxit & Aram
Flora *roſis* redolens, pro tanto PRINCIPE dignam:
Ac Examen apum juſſit reſonare Vireto,
Sub quo Majeſtás *Regni*, tot mellea ſæclâ
Collegit; priſcus quot cunctis falcifer Annis
Saturnus nunquàm poterit per fata movere.
Quæ nox exſtinguit *Præclari* PRINCIPIS ortum?
Quem plenis radijs Sanctorum ſplendor honorat,
Ac Aurora *roſis* comitantibus urget in aſtra:
Cujus *Capreolos* ſummi Jovis Ara coronat
Lauris æternis; quòd talis victima Cælis
Digna ſuos axes ſcandat; quòd luce *Capellæ*
Taurum cæleſtem ſuperent, fortemq; Leonem;
Et quia plura novi *Capricorni* ſidera tangunt.
Funera Pontificis, jam non Cypariſſus adornet!
Fulgida dum *Roſeæ* lauri monumenta coronant.
Ingenio Magnus ſimul & virtute JOANNES
SZEMBEK, Supremus dum *Cancellarius* eſſet
Regni, præcellens meritorum lumine cunctos.
Vrbis & Orbis amor fuerat: quem Gratia *Regno*
Parturijt, tenerasq; *Roſas* cùi lactea Chlorys
In Cunas ſparſit: quem virtus inclyta nutrix

Moribus

Moribûs innocuis pavit, certosq; docebat
Gressus atq; gradus, prudenter inire Senatum,
Ornavitquè suâ prætextâ Cracia Pallas.
Magnæ more volans Aquilæ, Cælestia cursu
Sublimi penetrans, superanti sidera mente
Æquavit, toto dum clausit pectore Numen.
Hostiles acies valido qui fulmine fregit;
Nec tamen abscessit Judex à legibus ungve.
Intrepidô calamô, meritorum gesta libellis
Conscribens vitæ, venturis Nomina sæclîs
Perlustranda satis monstrans, imitanda reliquit.
Fascibus ipse suis virtutum grande volumen
Nexuit, & famam memorandam prætulit Orbi.
Quis major surget cum tota laude Senator?
Vox gravis ipsa suos deprædicat Orbe triumphos!
Vt jubar & radians spectetur lumen Eliæ,
Ignivomo quondam qui curru venit ad Astra,
Et rapidis Euri pennis transvectus in altum,
Vestales ingens *Fundator* reddidit Aris,
Atquè triumphales posuit pro lumine flammas.
Parca *Rosas* quamvis mortali clausit in antro;
Ipse tamen fragrans odor Astra decora replevit,
Diffuditquè suo redivivam Nomine famam.
Antistes MICHAEL SZEMBEK præconia laudum
Clangenti lituo divulgat & intonat Orbi!
Gloria Pontificum, pia *Suffraganeus* Aris
Thura litans *Cracijs*, incensans cordis amorem,
Pro grege commisso votivos dedicat *Agnos*.
Paphnensi Mitrâ decoratus lumen adauxit,
Gemmarum radijs, quibûs Aræ, Templaq; fulgent.
Sic *Craciæ* Cathedræ conjunxit amæna vireta;
Vt sociata fides legeret cum pace coronas,
Famaquè spiraret roseos virtutis odores:
Qui redolente Thymô Paradisi dulcia tecta
Præpositus MICHAEL reseravit, & intulit Orbi,
Atquè dies vernos eduxit stemmatis Ortu.
ABBAS ad *Claram Tumbam*, pietate coruscus,
Divorum Manes coluit, præcordia jungens

Thure repletis cælis necnon Ordinis ipse
Candor erat totus toto spectabilis ævo.
Aurea mens cujus, Pactoli fuderat aurum,
Divitias cujus dispersit prodiga dextra,
Nec tenebris damnavit opes, quas publica luci
Virtus exposuit, laudem cumulando perennem.
Vtq; recens nobis pateat clementia CHRISTI,
Fundavit *Gracias Charitum* probitate Thalias,
Et plenus meritis summum conscendit Olympum.
Si Patriæ cineres volvamus, de quibus ignes
Perpetuos laudis revocabit gloria Regni,
Vt Cælis pateant satis immortalia gesta,
PRECLAVS SZEMBEK splendet rutilante triumphô,
Qui *Woynicenses* exornat flore Curules,
Atquè *Rosis* Patrijs redimivit tempora Regum.
Annibali compar depellere finibus hostem
Non ignoravit: metuendus semper in armis,
Irruit audacter medios moriturus in hostes,
Magna triumphantis Victoris gesta, *Viennæ*
Æternis memorat sæclis *defensa* potenter.
Spiritus ipsius vivens in Corpore Regni,
Cælestis fuerat totus post fata superstes,
In lauris *roseis* subridens fulmina Martis.
Magnatum vitam si pondero sanguine claram,
Illa satis nunquàm pro Regni vivet honore:
Nonne diu vixit, qui nomen duxit in Astra?
Et plures Annis poterat præferre triumphos?
Nec LUDOVICUS abest SZEMBEK ab imagine laudis,
Ad *Cracias* Cathedras quem Pallas Chloride cincta
Duxit: cûi Pietas subjecit calcar honoris.
Hic Canonum Sacrorum uerus cultor & Author
Et perfectorum præfulsit regula morum:
Regni selectus qui SECRETARIVS arcti
Pectoris arcanum Patriæ sacravit & astris.
Et quamvis florem mors immatura recidit;
Non tamen avulsit *roseam* de flore *Coronam*.
ANTONIVS SZEMBEK Fratris vestigia calcans
Germani, similes præfert condignus honores:

Hic

Hic Præſes Cathedræ *Craciæ*, decus addidit ingens
Virtutum: & pleno doctrinæ lumine clarus,
Aonijs cinxit meritiſſima tempora lauris.
FRANCISCVS SZEMBEK Bellator Theſeus alter,
Qui Dapifer Regni *roſeo* de germine menſam,
Nectareasquè dapes hymenæaquè fercula Divis
Proceribus Patriæ poſuit, Martisquè labores
Campis Hymmetti, recreabat & intulit Hyblæ,
Expletâ tandem lachrymarum valle virentem
Elyſium collem conſcendens, gaudet Olympo.
CHRISTOPHORI SZEMBEK extollit VARMIA Mitrâ,
Principis appretians gemmas, & Muricis Oſtrum:
Qui fuerat verè radiantis imago decoris,
Implens ſubjectam præcelſo lumine terram.
Pontificis tanti, quis poſſet ſplendida ſummo
Geſta referre Polo? Qui geſſit Numen amandum,
Et Sphæras Regni ſuffulſit Nobilis Atlas.
CHRISTOPHORO Nomen conjunxit flore JOANNES,
Quod Natum *roſeis* cunis, violisq; coruſcis!
Quod ſapuit Hyblam, ſapuit quod mellea verba,
Aurea de cujus proſpexit *Gratia* vultu.
VARMIA de tali proſpectu ſumit honores,
Dum meruit ſummam de tanto *Flore* Coronam.
His *roſeis* ſertis redimitus & ipſe Senatus,
Et Regni jubar, hac præſtanti luce perennat.
Angelicis pennis Pietas ſpectata notatur!
Præſulis excelſi Sanctorum claret in Aris
Majeſtas, *Roſeis* gradibus decorata niteſcens.
PRINCIPIS imperium miratur VARMIA tota!
Ingenioquè Ducis ter felix SAMBIA plaudit,
Cælis delapſum votivo pectore Numen,
Et terris morum præſens exemplar adorans.
Sceptra jubente DEO Princeps ſuſcepit & Aras,
Jura colenda ſuis populis virtute beavit,
Blanda metu miſcens, legum venerabile dogma
Sub ditione ſua, præcelſa Sede locando.
In *roſeo* pretio præfulgida Purpura luxit,
Pro ſpinis radios ſolares mente rubentes

Spargebat populo, qui tristia nubila pellunt:
Annulus ardebat præclaro lumine pacis,
Cruxq; coruscabat pendens à pectore Sacro
Absquè dolore sibi subjectis mentibus ullo.
Pavit Oves Pastor dapibûs de flore *Rosarum*,
Capreolos nitidos Divinis hic dabat Aris.
Pontificis meritum quanti sit ponderis? Astris
Verbi Virgo Parens, totum LINDANA perorat:
Is *roseo* *Princeps* *Filiam* splendore coronat
Ac traxit post se mentes virtutis odore.
Florum Reginæ Pæstanum veris honorem
Præstitit, & junxit flores, quos PVRPVRA portat.
Nec tali Cedrus, nec regnat laurus in umbra,
Qualibus effulsit folijs *ROSA* PRINCIPIS una!
Elisijs tandem Campis translata nitescit,
Ac immortalem terris diffundit odorem.
Laude Palatinum resonante *Syradia* Cælis
Tollit ALEXANDRVM SZEMBEK: totoq; Senatu
Heròëm celebrat Magnum Macedonia Nostra:
CAPREOLI fugiunt dignos dum laudis honores,
Illos insequitur Majestas major in Orbe.
Nec submontani colles benefacta tacebunt!
Terrestris *Judex*, CAPITANEVS atq; BECENSIS
Qualia justitiæ Sanctâ pro lege locâvit.
Virginis effigies plùs prodigiosa loquetur
TVCHOVIÆ clarens! dicit quo cordis honore
In Superos fertur, Cujus devotio testis.
Flora ROSAM gestans Cælorum pulchra venustam
Conjunxit *roseos* fasces, quos detulit Aris.
ANTONIVS SZEMBEK hic ipso Nomine FELIX
Succamerarius in sublimi Monte *Vavelli*
Fudit ab ore ROSAS, fragrantia lilia jungens:
Eloquiò quoties sonuit resonante per Orbem,
Orator toties Romanas venit ad aures
Egregio semper sermone silentia rupit.
Bistonium Vatem superans modulamine linguæ:
Limitibus Legem juris, decretaquè firmans,
Qualia composuit clarens Ænotria terra,

Diva

Diva Themis jam Sceptra tenet, jam splendet Athenis.
Qui tandem cupiens meritorum claudere metam,
Æternum spatium *roseis* conclusit in Arvis.
JOSEPHVS SZEMBEK, excelsi Præsul honoris,
Doctrinæ dapibûs qui CHRISTI nutrit Ovile:
Filius accrescens, scandens virtutis in augem,
Clarus sidereo *Solis Lunæquè* nitore:
Qui Majestatis terrestria Numina vultu
Præcellit: generis quem cingunt lumine *Stellæ*
Aris evectum: consurgunt Cujus opimi
In Campo Regni, meritorum sorte *Manipli*.
CHEŁMENSEM Cathedram *roseo* dum flore coronat,
Altiùs extollit virtutis culmen in Astra.
Pastorale Pedum sic gestat, dirigit atquè;
Vt nisi turma gregis, morum fastigia scandat.
Purpura Pontificis, præcelso sanguine claret;
Hinc decuit Mitram condigno culmine pandi.
Gemmis conspicuus Præsul procedit ad Aras,
Ipsa ROSIS gressus Pietas observat & auget.
CAPREOLI mites, hoc fulgent vertice montis,
Qualem Flora *Rosis*, & lectis floribus ornat,
Ponderat & præstans prædivite *Copia cornu.*
Gesta Palatini celebris LIVONIA narret
FRANCISCI SZEMBEK! Cujus præconia servat
Mira quies Pelagi, tum Balthica Classica laudant.
TOLKMICENSE decus si nescit VARMIA fari,
Innumeris virtus quod de virtutibus auxit,
Neptuno seriem laudis, CVRLANDIA dicet.
Insula fluctisono depromit carmine Nomen,
Munere res gestas extollit Pontus in altum:
In freta concurrunt resonanti flumine Nymphæ,
Aureus exspumat gemmas ad littora Ganges,
Lympha coronatur *roseis* in margine sertis.
FRANCISCVS SZEMBEK quem Castellania Magnum
In *Vislicensi* solio deprædicat Hæmum,
Eminet in Patria, sublimi vertice montis:
In quo Mars Geticus posuit regale Tribunal,
De quo Flora ROSAS in Regnum fundit amænas,

 Et ne-

1185

Et nemus Ammonium ſeù plantat Theſſala Tempe,
Inclyta condecorant palmas ſignacula palmis.
Oſuecimenſis tot *Caſtellanus* honores
PETRVS habet SZEMBEK, quot ſunt lapides pretioſi.
Effulget Regni radijs adamantina PETRA!
Inſculptum PETRVS Petræ fert Nomen & Omen.
Caſtris & Clypeis, & firmis pervigil armis
Defendens Patriam, perſiſtit murus Ahenus:
Annibal hanc ſolidam PETRAM convincere neſcit.
Monſtrat ALEXANDER SZEMBEK clariſſima geſta,
Quæ *Caſtellanus Naclenſis* prætulit Orbi,
Nectit & Æmonio *roſeas* in germine lauros:
CAPREOLI Regni ſuſtentant robore molem,
Et cumulant Patriæ dignas virtute coronas.
SZEMBECIANA Domus plures virtute Penates
Floribus inſcripſit patrijs, numeravit & Aſtris:
Gloria quos *R*egni profert Regalibus Aulis,
Et Martis robur roſeo redimivit honore.
Nomina Numinibus Regni conjuncta coruſcant;
Sub ſtatione *Roſas* tali nec gutta Trionum,
Nec furor aut rabies Eùri, bacchante procellâ
Commovet, electæ Zephyrus quas intulit Hyblæ,
Mellea tum pacis divulgat ſæcula *R*egno.
Quis *Roſeum* docto continget acumine Florem?
Qui tangi non vult, nec ſpinis tangitur ipſis:
Hammatis jaculis vallatur *Flora Roſarum*;
Hoſtibus incutiant ut propugnac'la pavorem,
Atquè vagos perimant ſcarabæos floris odore.
Hos Orbis Proceres PRINCEPS virtute potentes
Magnanimosquè Duces nativa fronde coronas,
Colligis & decus hoc, *Roſeo* quod ſanguine claret.
*P*rimus honor *R*egni ſplendes, & gloria prima!
Viva Majorum monſtrans in imagine vultum:
Ex rebus geſtis *R*egnum Te PRINCIPE regnat,
Qui Pater es *P*atriæ florentis, lausquè ſalusquè.
Munificam dextram pretioſior annulus ornat,
Pontificis pectus plenum bonitate coruſcat,
Et crucis in ſigno, clementia Sancta triumphat.

Victima

Victima pro Regni Votis ivêre *Capellæ*;
Hinc *roseis* flammis consurgit in Astra Tiara,
Eminet & digno *Pro-Regia* flore CORONA.
Hinc *P*ax atquè Salus Domui sit SZEMBECIANÆ!
In folijs lucens ROSA, quòd fert gemmea Scuta,
Impetus armorum CAPRICORNI robore frangunt,
Cornibus auratis Cælestia Signa coronant.

COLLIGATA STEMMATA
CELSISSIMORUM EXCELLENTISSIMORUM ac ILLUSTRISSIMORUM REGNI POLONIÆ PROCERUM; cum CELSISSIMA FAMILIA SZEMBECIANA;

in Qua
PERAUGUSTORUM MAGNATUM
inocciduus eminet fulgor,
REGNIq; Inexpugnabilia Propugnacula
perpetuâ laudum celebrantur adoreâ:
in PRO-REGIA collucent CORONA.

STemmata quæ sæcli memorant præclara decorem,
Et genus extollunt ex alto sanguine *R*egum,
Splendores Patriæ, celsi sunt atquè colossi,
Gloria quos posuit pro signo laudis in ævum:
Firma triumphalis sunt Propugnacula Regni,
In quibus ipsa Salus & *P*ax secura quiescit:
Ad quorum aspectum tremebundus corruit hostis,
Convictusquè gemens nutantia consecrat arma,
Fascibus insignes & legum culmine fultæ
Convenêre DOMUS: & qui lectissimus Orbi
Sanguis erat; rutilans in Sacro murice regnat,
Quem celso præfert *P*RO-REGIA flore CORONA.
Korybuth. Stellarum *P*rinceps est *Visniovеccia Luna*!

Regia nempè *Domus*, Magnatum cingitur Aſtris
Et celſa irradians auguſtum luce Senatum,
Impletur Sceptrîs, Mitrîs, Clavîsq; Potentum:
Illa Comes Solis, Magnorum ſidera Regum
In radijs ſequitur: Latonæ gloria lucis,
Mærentis *P*atriæ nigrantia lumina pellit,
Et candore jubar triſtes effundit in auras.
Non ecclypſatur, pleno dum lumine claret:
Nomen fert Lunæ, ſunt cætera lumina Solis.
Luminis occaſum nec vidit Veſper opacus?
Illa ſoporiferos animos ad prælia traxit,
Fuderat & lauros opulento Copia cornu.
Ordinis aurati, ſeû famam Martis Equeſtris
Nobilitas meruit Regni, de Principe tanto,
Religioquè CRVCIS ſigno rutilante niteſcit,
Quæ Regum frontes & Martis pectora firmat.
Aurea CRVX rutilat, quam nectit gemmea ſtella!
Turcica Luna cadit tali compuncta timore,
Et confoſſa tremit majori cuſpide lucis.
Deſuper invigilans Hæc candida *Cynthia* Cælo
Proijcit in terras inverſo fulmina vultu,
Turcica ne valeant conſurgere Cornua Lunæ.
Ruſſia Lithvano compar eſt lucis honori,
Præ reliquis ſtellis KORYBVTTHEA ſidera ſervans,
Quæ ſummo ſplendent Apogæi luminis axe,
Aſpectumquè ſuum diffundunt Orbe Polono,
Atquè dies Patriæ reddunt in pace ſerenos.
SZEMBECIANA ROSA his ſplendoribus intima ſēper
Gratior effulgens, Majorum ſpirat odores.

Aquila. Principe Regalis *Radiviliana* Propago
Sanguine reſplendens Generis faſtigia præfert:
Vexillis *Aquilam* regnantem pandit in altum;
Vt pateat Martis toto conſpectus in Orbe,
Qui Romanorum ſignis audacior ibit,
Armatos *Equites* jungens, Clypeôquè potentes.
Victorum Dux eſt *Aquila* & Regalia ſigna
Pennatis humeris geſtat; nec deficit unquàm.
Conſcripſit pennîs patrijs præconia Regni,

Proſcri-

Proſcripſitquè procul bifrontem limine Janum.
Regales *Aquilas* non tangit fulmen acutum!
Aſpiciunt Solem Regni, nec lumina claudunt.
Proſpectu penetrant conſtanti viſcera Phæbi,
Et Majeſtatis capiunt in ſidere vultum.
In Petris *Aquilæ* Regalia Mænia ſervant,
Quis poterit tantæ molis confringere Caſtra?
Eſt *Aquilæ* ſidus, quod Celſis claret in Aſtris:
Ad libram noctis dum plenâ convolat *alâ*;
Circulus à *Cancro*, *Capricorni* vellera ſignat:
Hoc Aquilæ lumen collaudat Sacra Matheſis.
Dum *lux* in Regno *Radiviliana* coruſcat,
Stellatum Caput eſt; quod candida *Cynthia* ſervat.
Hoc ſidus nunquam trepidat clarente *Leone*,
Exoritur puro *Capricorni* ſidere ſemper,
SZEMBECIANA DOMVS, ſignis his fulget in Aſtris,
Et *roſeum* vellus conjungit luminis *Alis*.
Sieniawa. Romani Imperij *Princeps Lubomirſcius* Orbem
Sarmatiæ tuto *Fluvij* munimine vallans,
Hoſtiles acies hoc vaſto merſit in *Amne*:
Clarior Eridanô, tollens ad ſidera fluctus,
Evehit excelſum Nomen reſonantibus undis.
Exundet Nilus! ſeptemquè per Oſtia currat!
Vberiore rigat *Fons Hic* de gurgite Regnum
Murmure jucundo dum concitat ætheris auras.
Eſt Patriæ Portus, placidæ requieſquè ſenectæ.
Impletus meritis memoranda volumina ſorbet.
Auratum Vellus, cujus de *Flumine* manans,
Purpureâ Regnum pro Majeſtate Senatum
Veſtivit, riguô tum lauros fonte rigavit.
Tres *Fluvij* celebres currunt per Olympia mundi;
Aurum *Pactolus*, gemmas effundit *Hydaſpes*!
Largiflui Latices clarent *Gangetis* in undis.
Tales in Patria ſplendeſcunt ordine gemmæ,
Quales appretiat rarâ de luce Senatus.
Triplex hoc flumen redditquè ſimillima Phæbo
Pulchra repercuſſis Regni ſplendoribus Aſtra
India nec ſimiles gemmas, nec fundit arenas,

1189 In quibus ipſe ferox, generoſus & agmine Mavors
Certando poſſet baccas connectere lauris.
Hic *Fluvius* pleno currens torrente per Orbem,
Vt *Regni* radiet decus immortale CORONÆ,
Gemmas effundit, quales opulentus Hydaſpes
Nec Ganges refluis numerat nativus in undis.
Druzyná. Has fluidas laudes, meruit *Rupniewſcia* fama!
Clara tubis reſonis, adamantina flumina volvens.
SZEMBECIANVS honor, qui toto fulget in Orbe,
Æſtimat hos *Fontes*, quos puro ponderat auro,
Atquè ſuum *vellus* conjungit velleris Oſtro,
Et *roſeo* junctos concludit margine rivos.
Pulchro pergit *Eques* curſu, *Clypeatus* in hoſtem,
Pogonia. Diſtrictô *gladiô* reſcindens laurea ſerta:
Signa *Crucis* celebrat regali juncta Coronæ;
Sat metuendus adeſt! & firmo pectore præſtans.
Talia conveniunt victrici præmia fronti;
Principis ut validi clareſcat maxima virtus,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.
PRINCEPS SANGVSZKO Dux vinci neſcius armis,
(Cujus Magnanimos Annales Gloria Regni
Prædicat, ac Aſtris Mavortia geſta legenda
Evehit) hæc dignus meruit præconia laudum,
Qui *Cruce* condecorans conſtantia pectora Regni,
Hoſtibus in medijs, gladiôquè potentè triumphans,
E rutilo Clypeo jaculatur fulminis ignes.
Gloria ſternit iter, currit per ſæcula virtus!
Pro meta laudis, totus non ſufficit Orbis.
Non timet umbriferas inſignis fama cupreſſos,
Quam *lignum vitæ* redimivit fronde perenni,
Trajanus quadrupes fatalia Pergama vincat!
Hic *Sonipes* cuneos calcans audacior ibit,
Intrepidus Patriam defendens corpore toto.
Sole Phlegon, Pyrois, clarent Eous, & Æthon,
Qui complent placidis vaſtas hinnitibus auras,
Et ſolis faciem revehunt temone nitente.
Pegaſus ipſe patet famoſa voce Poëtis,
Caſtalios latices qui duxerat ex Helicone,
Ex qui-

Ex quibus alma novem ſumpſerunt pocula Muſæ. 1190
Invehit *Hic Sonipes* clariſſima Lumina Regno,
Pulchrè quæ Patrio ſurgunt emerſa *Fluento*;
Hinc laudum *laticés* reſerabit in ungue potente.
SZEMBECIANA ROSA, his jaculis armatur acutis.
Sanguine connectens dotales Chloridis hortos;
CAPREOLOS jungens immenſis paſſibus illis:
Et quorum juncto rubet utraquè Purpura vultu,
Et Mitris nova lux miro fulgore coruſcat.
Stemmatis hoc ſigno laus CZARTORISCIA claret;
Nempè Duces illi, famæ calcaribus acti,
Præcipiti curſu, pulchrô certamine juncti,
Hoſtiles acies, inimicaquè Caſtra fugantes,
Sub *Chocimo* miras *Oſmani* Principis artes,
Verſutosquè dolos, pharetras, & tela minarum,
Lunigerosquè focos, furialis & agmina Martis
Captivasquè manus celebri duxêre triumpho.
Bellerophontæus *Sonipes* quatit æthera ſumma,
Atquè coronatus millenis prominet Aſtris.
SZEMBECIANVS honor, veſtigia talia ſervat,
CAPREOLOS jungens æquali munere laudum,
Qui celeri greſſu ſcandunt faſtigia Regni.
Et quoniam pariter conjuncto ſanguine certant,
De ROSEIS pratis communia paſcua ſumunt.
Navis. Europæ Pontum tranans *Opalinſcia Prora*.
Deportat pretium meritorum tramite recto,
Impenſæ virtutis honos, ſtatione ſecunda
Applicat ad portum, quem lauris gloria cingit,
Turbinibus nunquàm, aut ventorum fluctuat ictu,
Nec titubat nutans tumidis agitata procellis:
Trajecit ſemper felicibus æquora velis.
Remis *Prora* citis conſulcans flumina Ponti,
Neptuno poſt ſe veſtigia nulla relinquit!
Hæc *Ratis* alta, viam virtutum tramite ſignat,
Mergere quam Boreas hoſtili gurgite neſcit:
Illam qui inſequitur bibet hoſtis naufragus undas.
Impletur gemmis pretioſis aurea *Claſſis*,
Quas honor addit Regni connectitquè CORONÆ.

1191. Æquali Cursu virtutum, tendit in omnes,
Nerei fluidas laudes *Czarniecia Puppis*,
Quæ Patriæ famam, Regnorum portat ad Oras.
Consimiles fasces, gestat *Poninscia Cymba*,
Pulchra trophæa vehens quæ ponderat ipse Senatus,
Cælo præsentans victricis pignora dextræ.
SZEMBECIANA DOMVS, tali conjuncta *Carina*
Auratum Vellus securâ devehit undâ.
Ascia. ASCIA glorificis nitet *Ossolinscia* gemmis!
Ictibus in *validis* quæ semper ab hoste redivit,
Ausonios fasces superans Latiasquè secures,
Et sonitu terrens consuevit sternere Castra.
Victrices lauros sibi messuit *Ascia* fortis,
Perfida quâ Patriæ regnantis monstra necantur:
Acres has sævus metuit Catilina secures:
Tarquiniumquè fugat cum *Brutis Ascia* fortis:
Exsecat in Regno fulgens spineta *Bipennis*,
Mordaces plectens urticas atquè rubeta:
Victrix è Campo connexuit ASCIA lauros,
Terruit offensos districto lumine Martes,
Argutumquè feris jaculis hebetavit acumen:
Attraxit Clypeos, Enses ac aurea scuta,
Sceptra, graves Clavas, Mitras, magnetica *Cuspis*.
ASCIA TARŁONVM simili virtute coruscat,
Atquè pari nitidas cumulat virtute Coronas.
SZEMBECIANA DOMVS circumdat flore *Bipennẽ*,
Et Tyrius rutilat conjuncto sanguine murex.
ASCIA decollat turmas, cristasquè rebelles,
Flora coronat opus, nec toto celat in Orbe.
Wieniawa Egregium Patriæ *Caput* effert atquè *Coronas*
Cælis & terris, *Leszczynscia* fama! Deorum
Quæ superat mentes; statuas, vocesquè Minervæ
Elingues reddens: falso certantia vultu
Æra cadunt: Parij lapides sudore liquescunt:
Phydiacas artes nec Jupiter aureus audet
Ante *Caput* Regni vivum, monstrare colendas.
Hoc *Caput* excelsum truculentos terruit hostes,
Fecitquè attonitas Bellonæ stare phalanges,

Gallica

Gallica quæ rutilant ſpecioſis *lilia* Campis,
Hoc *Caput* exornat Reginæ: ſertaquè nectit
SZEMBECIANVS honor, *roſea* de germine *Floræ*
Floribus inſcribens fulgentia Nomina Regum,
Æſtimat atquè *Caput* regali ſanguine junctum
Vt Sol in Regno radianti luce refulgens:
Auricomum ſic hoc *Caput* inclinatur ad omnes,
Omnem debemus pro tanto ſidere cultum.
Circulus æterni meriti dependet ab *Ore*,
Principis ingenium, quòd claret *ab Ore*, probatur.
Cæſariem mentis redimit prudentia rerum,
Conſiliôquè potens Themis incorrupta refulget.
Hoc *Caput* effigiem Procerûm demonſtrat & arma,
Exturbat Martes inimicos fronte decorâ
Cujus ad obtutum fugiunt reboantia Caſtra;
Hoc *Caput* egregium fuerat certamine clarum,
Vt *Roſeis* ſertis dignum diadema referret.
Pilawa. POTOCIANA CRVCIS conſurgit gloria Cælo,
Per quam tota ſalus Regni, cum pace triumphat,
Nec talem Memphis poterit formare Coloſſum,
In quo tot Regum, Procerumquè colenda leguntur
Stemmata virtutum, digni Martisquè labores,
Primatum CRVX eſt meritorum bajula Regni,
Atquè Ducum dignos extollit in æthera faſces:
Qui legis invenies conjunctum *Stemmate* Cælum,
Quô CONSTANTINVS Legionum monſtra fugãdo,
Terribiles viſu formas in robore preſſit.
POTOCIANVS honor, ſi Martis ſigna revolvas,
Eſt Macedoni par, magnâ virtute triumphat,
Ex rebus geſtis nec toto prenditur Orbe.
Scipio qui fuerat populo Carthagine cincto,
Ac Aſiæ ſemper metuendus terror & horror,
Paret *Alexandro*, plantis ſua Sceptra reponens;
Nec *Fabius* ſimiles poſſet numerare coloſſos,
Potocianus honor quales in ſtemmate monſtrat.
Maxima Divini CRVX hæc eſt Numinis Ara,
Nubibus inducens ramos, & ſidera tangens,
Cûi Proceres Regni ſua cuncti vota litârunt.

SZEMBECIANA Domus, signis his consociata,
CAPREOLOS nitidos præcelsæ consecrat Aræ.
Fascia. FASCIA Regnorum *Malachowscia* cingit & unit
Sphæras, detergens sudorum corpore guttas:
Gordius hic nodus nullo dissolvitur ense!
Colligit ingentes meritorum vitta maniplôs,
SZEMBECIANA Domus *roseo* quos ponit Acervo.
Tubæ. Fama *Tubis* resonans deprædicat alta Senatum
Quo *Jordanorum* Magnatum Numina fulgent.
Purpurei Proceres Hi consiliôquè potentes,
Voce suâ clarâ traxerunt corda Penatum,
Aures attentas gestorum laude replentes.
Hostiles lites, & inextricabilis error
Cessârunt; postquàm resonârunt classica tanta!
Turcica Luna fugit, nec cornua tollit acuta,
Terrifico titubans pallet clangore *Tubarum*,
Ad quarum timidus sonitum mox corruit hostis,
Mænia turritas deponunt mæsta coronas.
Parta triumphabit victoria voce *Tubarum*:
De quibus ipsa salus & pax firmata resultat.
SZEMBECIANA *Tubis* Domus his conjuncta sonoris,
Æternas laudes toto divulgat in Orbe:
Dum ROSA vernando, florum Regina triumphat,
Victricesq; comas, in pompam ducit honoris,
Classica præcedunt celebrantia *Chloridis* aulam,
CAPREOLIq; trahunt solium cum *velleris* Ostro.
Pogonczyk. Auratis humeris pendent *Dzialinscia Tela*,
Quæ Martis cuneos penetrârunt luminis ictu,
Vna sagitta necat totas per castra phalanges!
Irrevocabilis est claro stridore per auras:
Dum redit, apportat devicto Marte trophæa.
Annulus in medio divisus lumina spargit,
Verticibus Procerum indivisa, nitore corusco.
Has confractas quisquis vis conjungere partes?
Vna fidem Superis pars inclyta dedicat almis,
Altera pars Regno Cælum desponsat & Aris.
In medio radiat, carissimus *Vnio* Cordis.
Purpura SZEMBECIJS radijs in Murice splendens,

Hanc sibi pro summo connectit lumine gemmam,
Et *roseo* redimit victricem flore *Sagittam*.
Prus. Insigni radio CRVX *Jabłonowscia* claret!
Ipsis in Cælis hoc splendet Nobile signum:
Quod Regum Capiti pretiosâ luce coruscat,
Quo zelus fidei plures non Marte valebit
Pro Patriæ cultu lauros connectere lauris.
Falcibus ac *Soleis* victrix armatur Imago,
Quæ solo aspectu conturbat barbara Castra,
Hostiles sternens galeas, Clypeosquè minaces,
Conculcans Lunam Turcarum robore plantæ.
Aggregat hæc pulchram virtus ex agmine messem,
Ac immortalis signat vestigia famæ.
Hoc CRVCIS extollit signum, rutilasq; Coronas
SZEMBECIANA Domus sublimi monte *Roseti*:
CAPREOLOSquè simul devotis dedicat Aris;
Vt pateat *roseus* conjunctus cum CRVCE sanguis,
CAPREOLI *Soleis* armantur *Falcibus* atquè,
Prælia cum tanto quis posset Marte movere?
Rawicz. VRSVS victricem *Bellonam* portat in Astra,
Quem Majestatum *Przyiemscia* gloria fastis
Conjunxit dignum, celebravit & ungue potentem:
Quo Mars exterret fatuos DĘBINSCIVS hostes
Quem præfert Cælis simul OZAROWSCIA virtus:
Vnde coronatâ pro Majestate triumphans,
Non poterat meliore vehi victoria curru,
Quàm dum conscendit Cælestem sideris axem,
Atquè comis nitidas addit pro lumine stellas;
Vt meritum Regni, Sanctorum splendor adornet.
Vrsa minor, majorq; viam substernere gemmis
Non tardat, quales fundunt gelidante pruinâ
Parrhasides Stellæ, quæ cingunt tempora Martis:
Sicq; coronatum Martem nec frigora terrent,
Nec nemorum saltus, nec aquosa volumina Ponti.
Orpheus in sylvis stimulat certamina plectrô,
Victricesquè manus recolit modulamine vocis,
VRSVS terribilis, recubans ad Mænia Regni
Vnguibus armatus, Patriam defendit & ornat

1195.
Hoſtibus incutiens terrorem, voce triumphans,
Monſtra necat Patriæ, Tygrides, forteſquè Leones,
Atquè venenoſos pungit, pellitquè Dracones,
Et ſua geſta potens Cæleſti nunciat Vrſæ.
Virgo Veſtales extollit in æthera palmas,
Igne triumphali demonſtrans geſta Gradivi,
Quo Regnum perſtat, tranquilla in pace triumphans.
Nubilis eſt Marti, Nymphis præſtantior exſtat,
Digna coronari rutilis ſtellis Hymenæi;
Temperet ut Regni motus, ſcrutetur & Aſtra.
Hæc eſt totius Patriæ lectiſſima Mater,
Quâ Reges fortes ſolio regnare jubentur.
Gignit Alexandros Magnos, virtute potentes,
Pompeiosquè parit! ſimul & producit in ævum
Ex rebus geſtis clariſſima Numina terræ.
Illa *Manus*, Superum, victrices tendit in Aſtra;
Ad votum Regni, Cælos inclinet ut altos!
Aſtræamquè trahat pondus librare Senatûs,
Lucida Zodiaco Sanctorum lumina figit,
Signiferos Proceres vexillis ſignat & armis,
Daphnide ſplendidior! Florâ formoſior omni!
Quæ lauros Regno produxit ab arbore vitæ.
Caſtra ſilent Martis tunc, hic dum prominet *Vrſus*,
Ducere quis poterit cum tanto Principe bellum?
Murmure devoto Cæleſtia Numina laudat,
Herculis acta colens, enarrat Olympia feſta,
Servat Hyperboreos fortiſſimus ungue *Triones*.
Nec Leo, nec Tigris ſolemnia præripit *Vrſo*.
Junctus CAPREOLIS VRSVS reſonante triumpho,
Pompoſè gradiens, aurato vellere fulgens;
Neſcius iræ, Cælis infert ſtemma ROSARVM.
Leliwa. In Firmamento Regni *Tarnowſcia Luna*
Claret, & albicomis ſtellis ſua Caſtra coronat!
Cimmerias noctes pellens, Patriamquè ſerenans,
Alluxit toties donec ſuccumberet hoſtis,
Hoc infert Cælo *Volucris Junonia* lumen;
Nec poterat portare niſi ſtellantibus alis:
Effulget ſolidis in Regno Cynthia flammis!
Plena

Plena nitens meritis, rutilis redimitaquè ſtellis,
Pollux & Caſtor quam primo lumine cingunt;
Lucet inocciduo *Patriæ* candore per Aſtra.
Stellæ pugnârunt, hoſtilia Caſtra moventes,
Victrici galeæ componunt Aſtra coronam.
SZEMBECIANA *Roſa*, hoc ſplendeſcit lumine jūcta;
Candida purpureis redeant ut ſæclâ diebus,
Et niveo niteant *Capricorni* vellere lucis.
Gryphus. *Gryphus* amor Patriæ, legum defenſor ab ungue,
Aurea Libertas poſuit quem margine Regni;
Vt fortunatas Patriæ defendere gemmas
Poſſit, & immenſam Regni conferre *Coronæ*
Lucem: quâ fruitur rutilis alatus in Aſtris.
Hic *Arimaſpos* plenos Martis ſanguine mactat
Inſidiatores fortunæ: ſpectraquè Regni
Vnguibûs excæcans, tranquillâ pace triumphat.
Viribûs his fulcit Patriam *Braniccia* virtus!
Fortior & Lybicis Pardis, Tyrioquè Leone,
Excubat ante thronum Regni, diadema tuendo.
CAPREOLIS *Gryphum* dum Martia fædera jungunt,
Heſperidum *roſeos* Hortos tutantur, & armant.
Siempior. *Struthio* conſcripſit *Pennis* Præconia *Regni*,
Qualia commemorat meritis *Mniſzkovia* fama:
Illis in pennis nitet indelebile Nomen,
Quale vehit *Phænix*, Cælo poſt fata ſuperſtes.
Condecorat dextram Sapientûm penna *Solonum*,
Et Martis galeam cingit ſtrepitantibus alis.
In ſeptem Pennis, ſeptem miracula Memphis
Colligit, & celebrat totus majora Senatus.
Hæ pennæ formant propiores Axe Coloſſos,
Extolluntquè ſuas ſtellatas fronte coronas.
Struthio procedens immenſo corpore victor,
Compoſitis gradiens pedibûs, diſcrimina flectens,
Hoſtibus infenſis lapides poſt terga revolvit,
Quam molem certè Siſyphus portare nequiret.
Capreoli ſimilis plantæ, virtute triumphant,
Et tragicô ludunt Mavortis tela cothurnô.
Laurea non ſatis eſt tantis Magnatibus una!

(119)

Duplex è *roseo* serto, pennisquè coruscis
Culmine præcelso, Regni diadema nitescit.
Strzemie. Heròés Equitesq; feruntur, STAPETE Regni
Inter quos altum *scandit Brzostowscia* fama
Fastorum culmen, quod *Flavius* ipse stupescit.
Ille *Gradus* meruit Regni subsellia prima
Pontificum Mitras attingens tramite recto,
Armis invictus splendet *Brzostowscius* Hector,
Hostibus in medijs qui primus & ultimus adstat:
Ignitis pedibûs conculcans callida Castra.
Arma virumquè canens armatus STAPETE dictô
Clarus Eques cuneos penetrat Martisq; phalanges,
Laurea serta legit, numerando mille triumphos,
Quales non collegerat unquàm fortis Achilles.
Pro gemmis cingunt *Capricorni* vellere Martem,
Et ROSA purpureo circumdat flore Senatum.
Boñcza. MONOCEROS acies hostiles castraq; cornu
Erecto penetrans, terit acrìs cornua Lunæ:
Quò fidei Sanctæ sunt oppugnacula fracta
Turcarum: Tali *Kunicia* fulminis ictu,
Infensi Martis compressit pectora *Virtus*,
Terribiliquè manu confregit ahenea castra
Ictu glorifico, primis & plausibûs almas
Pontificum metas, & punctum attingit honoris,
Fortunam Regni superans certamine laudum,
Fundere quam nescit prædivite copia Cornu.
SZEMBECIANA Domus tali conjuncta decori,
CAPREOLOS fortes in prælia mittit: & ornat
Victores *roseis* lauris, simul Astra coronat.
ROSA Falcibus insignita. *Falcibûs* armatur ROSA, quæ cum flore Senatum
Vestit, & hoc signo *Pro-Regia* Sceptra coronat:
Nec tangi poterit; jaculis munita potenter:
Veris honor redolet, qualem *Dobinscia* fama
Effert in Patria; nec fulgida Purpura celat
Gnesnensi Cathedræ: Genus hoc & sanguinis ortu,
Est Ornamentum Regni, Nomenquè perenne.
Excoluit virtus splendentia *Falcibus* Arva,

Inqui-

In quibus efflorent Mitræ, rutilæquè tyaræ.
SZEMBECIANA Domus nitidis his claret in arvis,
Atquè ROSAS Campo conjungit, & erigit Aras.
Nowina. *Circulus Auratus*, quo clarum pendet Ahenum,
Æternas famæ laudes & pondera signat.
Igne triumphali radiat, rutilôquè pyropô;
Fervida quàm fuerint pro Regni Corda salute,
Elevat effusos sudores pectore toto.
Divis Numinibus Regni dat nectaris escam,
Et Patriam potat liquidis lymphis satiando,
Calcar tum *Gladius* signo conjungitur illi:
Hostibus evictis *Gladij* nam splendet acumen,
Gloria *Calcar* habet, quô summos scandat honores,
Atquè Senatorum fasces extollat in Astra.
Purpura *Czernorum* tali insignitur honore,
Quæ Patriæ fulget paries, & murus ahenûs.
SZEMBECIOS flores tum celso sanguine nectit,
Hyblæis sertis lauros quas messuit, addens
Per Martis *Gladium Calcar* præbetquè decorem
Capreolis, citiùs scandant ut culmina Regni.
ERANCISCUS CZERNY, Regni signatus honore,
Osuecimensis dum *Castellanus* adornat
Regales Aquilas, vocat in sua lumina Phæbum.
Primus PRIMATIS Dux, Mareschalcus in Aula,
Sidereo vultu perlustrat Castra ROSARVM,
Et Patrijs Stellis Pro-Regia gesta coronat.
ANDREAS CZERNY, vel solo Nomine *Fortis*,
Per *Sandecenses* dum *Castellanus* honores
Extollit Martem; *gladiô* lauros rutilante
Colligit, & fronti victricia signa reponit.
Columna. Gloria quam posuit *metam*, virtutis & augem
Passibûs impavidis tangit *Walewscius Ardor*,
Atquè coronatam præsentat in Orbe *Columnam*.
Qui celebres ludos duxit certamine Martis,
Et fixo cursu meritorum, pervolat Astra.
Consimilem metam tangit *Walewscia* fama
Quam *LESKO Princeps* victrici fronde coronat.

1199 Pondera quæ ſtruxit ſaxoſo culmine Memphis,
Præpetis in ſubitam famæ cecidêre ruinam.
Firmior hic perſtat celſis *Obeliſcus* in agris!
In quo ſcripta patent Procerum tot Nomina Regni.
Eſt inconcuſſus Paries, Patriæquè *Columna*,
Quæ ſuperat geſtis præclaris Herculis acta:
Hoſtibus infenſis hæc ſola eſt ultima meta,
Mavors convictus, lauros deponit ad illam,
Ordine compoſitæ fulgent radiante *Coronâ*
Gemmæ, quæ tradunt remicantia lumina Phæbo:
Sicquè repercuſſâ ludunt in luce lapilli.
SZEMBECIANA *Roſis* exornat *Flora Columnam*:
Capreoli metam pulchro certamine tangunt.
Poray. Flore *Roſinorum* rutilat generoſa Propago
Numinibus Martis Romana Palatia complens,
Stemmate quo rutilo famoſa *Bohemia* claret,
Et Cælos pleno Sanctorum lumine cingit.
Fulget ADALBERTUS tali fulgore coruſcus,
De quo *Gneſnenſis* trahit inclyta *Purpura* lucem.
His Roſeis fulget *Kobielſcia* Mitra pyropis,
Pontificale decus ſimul hoc in lumine ſplendet.
SZEMBECIO *Flos hic* dum floret ſanguine junctus,
Purpurea Regno revireſcent ſæcula ſorte.
Hic Odor in Patria ſcarabæos enecat hoſtes,
Ornat & egregio regnantem flore Senatum.
Altivolæ Cælis Aquilæ *Roſeum genus* illud
Celſiùs extollunt inter Regalia ſigna.
SZEMBECIANA ROSIS quando connectitur iſtis
Chloris, odoratas extollit Nominis aras.
SZEMBECIANVS honor, ſimul & *Męczynſcia* Flora,
Hôc pulchro nexu viridaria plantat amæna;
Per quæ Purpurei tantùm ſpatiantur Honores.
Hos Regni Flores numquid Proſerpina carpet?
Immortale decus, qui ſunt, Patriæquè Corona.
Auratos Equites SOLEA Clypeôquè potentes,
Jåſtrzębiec. *Rychlicij* Proceres conjuncto Stemmate monſtrant,
Aurea quod cingit CRVX armìs neſcia vinci.

Hoc

1200.

Hoc sequitur Signum Mars *Konopnicius* Almum,
Qui *Cruce* magnanimus vincit reboantia Castra;
Et Soleâ clarus, conculcat colla superba.
Annulus, in Rostro *Volucris* quem portat adunco,
Spondet fortunam: penetrans & sidera Cæli,
Nominis extollit famam resonante volatu.
Æquali passu virtus *Jwanscia* currit,
Hostibus in medijs pugnans immota triumphat.
SZEMBECIANA *Rosis* Victores *Flora* Penates
Ornat, & appretiat præclaro sanguine junctos,
Et Volucri Regni committit Regia Sceptra.
Junosza. Signorum Princeps *Aries* Cælestis habetur,
Cornibus auratis qui veris sidera pandens
Primus ad auroram concurrit vellere lucis:
Candidus est *Agnus*, tum Pacis nuntius almæ,
Qui placido totum conjungit fædere Regnum,
Et lauros nitidas retinens prædivite cornu,
Capreolis junctus *Rosea* nutritur in esca.
Candorem Patriæ similemquè *Podoscia* vultum
Fama gerens, tali plus fædere conterit hostem.
In Regni Solio resplendent Numina plura!
SZEMBECIANA Domus *roseâ* quæ servat in Aula,
Atquè replet totas Europæ vultibus Oras.
Hæc numerasse decet regalia lumina; primis
Quæ radijs renitent tanquam essent Astra Polorum.
Quorum fulgores tremulis nec Cynthia flammis
Nec Polus exsuperare potest: nec in imbre Triones
Hostili mergunt radiantem luminis Axem.
Excelsâ Cælis *Capricorni* luce coronant,
Atquè nitent *roseo* Pax & Concordia vultu!

LEO BENEDICTINUS
CELSISSIMI, JLLUSTRISSIMI, & EXCELLENTISSIMI PRINCIPIS,
Abbatialibûs ROSIS
CORONATUS.

ET LEO Magnanimus, (qualem Benedicta Propago
Condigno recolit cultu) non tardat adeſſe;
Vt tua pompoſæ narret præconia famæ,
Et ſimul ò PRINCEPS! Cathedrali aſſiſtat honori,
Vnguibus atquè potens conſcribat Nomen Olympo.
Solſtitiale Caput, Sanctorum ſplendor adornat,
Sidereis cingens Stellis & in Axe locando:
Annulus æternus, Cujus pretioſa coronat
Geſta, ſimul rutilis circumdat Roma pyropis.
Hic *Leo* Regali *muro* decoratus & armis,
Capreolos forti defendet robore dextræ,
Atquè *Roſis* junget Reginis *Regia* Sceptra,
Velleris aurati pondus librando per Aſtra,
Excubat ante Thronum Regni ac Oculis adapertis
Certa pro Patriæ vigilat pugnatquè ſalute,
Perpetuô ut regnet *Pro-Regia* flore CORONA:
Rugituquè fremens, qualem nec machina belli
Evomit in flammis, ejectans fulmina dira.
Vnguibus excoluit cultis viridaria compta,
SZEMBECIANA quibûs præfulget *Flora Roſarum*.

CELSISSIMI & EXCELLENTISSIMI PRINCIPIS, CHRISTOPHORI ANTONIJ COMITIS in SLUPOW SZEMBEK Primatis Regni Poloniæ,

Illustrissimorumq; ac Reverendissimorum Præsulum SZEMBECIORUM, in PRO-REGIA CORONA erga Orthodoxam ECCLESIAM GEMMEA celebratur PIETAS.

Ode.

SVprema terræ Dignitas
PROREGIAM CORONAM
Honoris in Templo locat,
Adoreâ colendam.
Ecclesiarum Gloria,
Fideiquè Principatus,
SZEMBECIANO Stemmate,
Resplendet ad stuporem.
Rutilans Sacrorum Præsulum,
ROSA fulgurat per Astra,

Divini amoris ignibûs,
Flammisquè ſanctitatis.
Quas ulla ſæculis ſuis
Abolere neſcit ætas,
Et nubiloſa claudere
Mortalitatis umbra.
Sabæa thuris munera,
Famæ fluunt amomô
Sacella Numini Sacra,
Replentur ex odore.
Ne deſit Aris victima
Hædi patent bicornes.
Sublimibus Cæleſtia
Superantquè Signa plantis.
Hi bellicis ſunt machinis
Virtute fortiores,
Qui monſtra pungunt Patriæ,
Eccleſiæquè larvas.
Hi dignitate velleris,
Regno litant decorem,
Roſisq́ ſternunt ſemitam.
Faſces ad altiores.
Zizaniarum noxia
Cornû rubeta purgant,
Et ante Regis excubant
Validi Thronum Leones.
Suis in Aris Præſules
Spectantur Infulati,
Quorum gradus, lectiſſima
Virtute Chloris ornat.
Primatialis Purpura
Violas Roſasquè præfert,
Quas dignitas SZEMBECIA
Pro laudis addit Ara.

STANSLAVS Astris celsior!
Miraculum Senatûs,
Manes ab umbris excitat,
Virtutis insepultæ.
Cracij Vavelli culmine,
Diadema prædicatur,
SZEMBECIANVS quod *Rosis*
Honor suis coronat.
MICHAEL *Paph ensis* Pontifex,
Pro Nominis decore,
Famam tubis sonantibus
Divulgat inter Astra.
In *Varmiensi* Murice,
Pretiosa gemma fulget,
Et aureum cum Principe
Vellus per Astra lucet.
Nec dignitas sublimior
Hunc Principem præibit,
Nec surget eminentia
Suo IOANNE Major.
Regis superni bajulat
CHRISTOPHORVS coronā,
Quæ siderum præfulgido
Præcingitur Senatu.
Regina veris Cypria
Rosa, gloriæ replevit
Gratissimis Odoribûs
Premisliense Templum.
Cujavienses Exedræ,
Æterna fulcra monstrant,
Antistitis Sacro pede,
Superantquè Scipiones.
Chelmensis Ara, culmine
Præcelsiore claret,

SZEMBECIANVS quam locat
Ingens in auge cultus.
In *Annulo* gravis lapis
Sine læſione ſplendet.
Crux prominens in pectore
Antiſtitum piorum,
Eſt pectorale Cordium
Inſigne ſubditorum.
Quis tanta poſſet Nomina
Vel floribus referre?
Quæ ſunt racemis omnibus
Hybláquè dulciora.
Probitatis illa Paſcua
Nitidis relecta dextris,
Greges pij dum delibant,
Capiunt magis ſaporem.
Exculta cordis jugera,
Verbô virent acutô,
Spineta Conſcientiæ
Velluntur arte mentis.
Clarent opes Altaribus,
Oblatione digna,
Et aureum præponderant
Vellus, Tyriq́; dotes.
Intexta gemmis Infula,
Suprema tangit Aſtra,
Æternitatis gloria,
In annulo coruſcat.
Quæ lingua dignam gloriam
Magnatibus reponet?
Immenſa quorum Nomina,
Nec ipſa laus prehendit.
Prælata dignis ſedibus
Perorat ipſa virtus,
Vultu trahens Modeſtiæ
Greſſus pios ſequendo.

O Magne PRINCEPS Principũ!
O Maximisquè major!
Regniquè fama Nobilis,
Et *Prima Laus* Senatûs.
Inſigne Majorum decus,
Generisquè Nomen altum.
Reddis tuâ ſpectabile
Virtute *Principali.*
Decebat efferri tuæ
Tiaræ decora geſta;
Quam tota dignam prædicat
Honoris amplitudo.
Catonis eloquentiam,
Solonis æquitatem,
In Te ſtupeſcit *Principe*,
Prudentiæ Minerva.
ANTONIVS cum lilijs,
ROSAS tuas ligaſti,
Hæc mira Colligatio,
Cælis niteſcit ipſis.
Quis prævalet præſcindere
Hoc Gordium ligamen?
CHRISTOPHORVS præcordijs
Cæleſte Numen arctans,
Atlas Olympum bajulas,
Virtute fortiore.
Famoſa regnet Purpura!
Præcelſa Vitta regnet!
Non invidæ corrodere
Tineæ decus valebunt.
Patriæ diù PRO-REGIA
Regni *Corona* fulge!
Oblata Vota ſuſcipe,
Terreſtre Numen Aris.

Primatiali Dignitati, PRO-REGIÆq; CORONÆ

in medio ECCLESIÆ, ac in Templo Honoris

pro Majeſtate meritorum

E L E V A T Æ,

gratum depromitur Euchariſticon.

O D E.

VExilla Regni ſidereos ſuper
Expanſa paſſus ſurgite! flamine
Commota ſuſpirantis Auſtri,
Compoſito reſonate motu.
Efferte Cælis Pontificum decus!
Quali coruſcat SZEMBECIVS thronus;
Vultusq; tantorum Penatum
Egregiam Procerumq; pompam
Monſtrate. Plauſus ducite maximos;
Iratus altis en Boreas minis,
Non obſtat: Eurus turbulentus
Non ſtrèpit & Nothus in procellis.
Virtutis almæ celſius eminet
SZEMBECIORVM Nomen imagine:
Vivisquè certat Principalis
Effigies, ſpeciesquè ſignîs.
Primatialis culmina dignitas
Honoris, almis elevat ædibûs!
Terreſtre Numen ſplendet Aris,
Votaquè fert populus colenda.
Eccleſiarum tympana plaudite!
Tubæ canoris correboent ſonis:
Ac excitet plauſu perenni
Machina perpetuas Olympi

Flammas triumphi. Lumina fulgurent
Præclara gemmis Præſuleis! quibûs
Exorta Regni pulchritudo,
In medijs renitеſcit umbris.
Pro-Regio Pax conſedeat *throno*!
Fidesquè junctas conſolidet manus:
Regale miremur tribunal
Pontificum! recolendo dona
Crucis. *Roſarum* Flora Palatium
Exornet albis aurea lilijs!
Lauris coronatæ *Capellæ*
Principis appretient *Coronam*:
Plenis remonſtrant Stemmate *cornibus*
Dotes, & aurum Dalmaticum, quibûs
Eccleſiæ dotata Sponſa;
Aurea tempora vivit omni
Ævô: colamus ſemper amabile
SZEMBECIORVM Nomen, in Optima
Famâ *Roſarum*! quod Sabæo
Germine, Nos revocat ſub Aſtra.
Larvas ſtupendas, monſtra minacia,
Et ſpectra Regni, *magnanimi Capri*,
Bellô potentes, glorioſis
Cornibûs è Patria fugârunt.
Firmata Sanctis dogmatibus Fides
Excrevit Orbi, ſub Patrijs *Roſis*,
SZEMBECIANUS Zelus, ullâ
Debilitate nequit laborum
Frangi. Coruſcat Regula, Nobile
Nomen: Figura eſt, Normaquè certior,
Delapſa Cælis: omnis illam
Qui ſequitur, manet hinc beatus.
O magne PRINCEPS! Gloria Præſulum!
Summis ab Ortu Regibus intime,

1209 Dent Cælites! ut *Purpuratus*
In gremio Procerum nitescas,
Quos Orbis audit. Laudibûs inclyte!
Cælisq; terris vive perenniter!
Ecclesiæ sis firma Petra,
Et Patriæ lapis Angularis.
Corona dignis pro meritis tuis
Æterna floret: tum rutilæ ROSÆ
Spirant odores, quos Acervo
Perpetuo Pietas adauxit.
Admitte gemmas, REGIA quas Tuæ
Mitræ Ducali Dextera porrigit!
Abbatialis fulgor addit
Luminibûs rutilas pyropos.

Ad immortalem famæ gloriam, Roseo Sanguinis Flori in Primatiali Purpura ac PRO-REGIA CORONA *per immensa virtutum Lumina Rutilanti*, celebris erigitur Obeliscus.

O D E.

CHloris excelsos Zephyris amica
Tramites sternat *roseo* colore,
Ac odoratos tenuem per auram
Spargat honores.
PRINCIPIS Nomen, venit ex Olympo,
Hybla cûi totam speciem dicavit:
Pronus audit Quod simul ac adorat,
Integer Orbis.

Nomen augustum, Superis amandum, (1210.
Ex ROSIS natum, violisquè cinctum,
Quale nutrivit niveo beata
Gratia lacte.
Cujus immensi generis propago,
Palmites Cælo retulit colendos,
Nobili morum probitatis atquè
Sanguine tinctos.
Templa quæ cultum meruêre Sanctum,
Præsulis zelum memorant stupendum,
Nomen æternis celebrant trophæis,
Totaquè plaudunt.
Fana Iunonis, Iovis, & Dianæ,
Squallidis umbrîs trepidant & algent,
Tristiùs deflent Pario refusas
Marmore guttas.
Quomodo Divûm rutilant Sacella,
In quibus certat Chorus Angelorum,
Principis cultus colit hæc Supernâ
Relligione.
Compta stellatis tremit Ara flammis,
Quas Amor servat fidei calore:
Fama virtutum redolente spargit
Thure vapores.
Iactat ornatum pretiosa gemma,
Aureis quamvis capitur catenîs:
Præsulis Cor quòd Superos sequatur,
Torquê tenetur.
Spectra Gorgonum, fideiq; monstra,
Invidos vultus rapidæ Medusæ,
In cavernosum relegant Avernum
Robore *Capri.*
Et licèt tangi ROSA laude nolit,
Sub rosa condi tamen ac reponi
L2 Non

Non poteſt; Cujus benè totus Orbis
Sentit odores.
Ex ROSIS celſum Patriæ Coloſſum
Exſtruit, PRINCEPS, Tua magnitudo.
Regios ſculpit titulos Poloni
Gloria Regni.
Emines PRIMAS Solio Senatûs!
Purpuram Cujus ROSA Principalis
Ornat, & totum Roſeum facit Te,
Sidus in Orbe.
Viva Majorum rutilans imago,
In tuis PRINCEPS meritis coruſcat:
Plena virtutum facies remonſtrat
Inclyta geſta.
Te CAPUT Regni, & Procerûm CORONAM
Delphicæ lauri redimire debent:
Debet & pingi ROSA *Cardinali*
Murice PRINCEPS.

CELSISSIMORUM,
ILLUSTRISSIMORUM
ac
Excellentiſſimorum *HEROUM*
SZEMBECIORUM
Conſtās erga ECCLESIAM Fides,
& quà Sagô, quà Togâ, erga PATRIAM
Inextinctus Amor
deprædicatur,
ac in PRO-REGIA adoratur
CORONA.

Ode

ODE.

1212

REgni verna dies refulsit Orbi!
Annus florifer explicat *Coronas*:
Regnat priscus honos in arva cuncta,
Chloris SZEMBECIIS *Rosis* venusta
Dum fulget redimita gloriosis:
Dotales Zephyrus quibus locavit
Campos Elisios, vireta plena
Lauris gemmiferis, *piis & herbis*.
Toto Ecclesia Sancta claret Orbe:
Reginâ dominante nempè florum,
Reges lilia claritate pubent,
Svaves tum violæ comis coruscant
Mystarum: ac Hyacinthus ardet Orbe
Zelosæ fidei calore plenus.
Raucæ fluctivagæquè Nymphæ,
Grato murmuris Amne consonantes,
Mulcent æthereæm Poli Coronam.
Sub miti Zephyri tepentis aurâ,
Conjurata silet phalanx, cohorsquè
Ventorum: nec acuta tela dirus
Vibrat Mulciber in *Roseta* nostræ
Florentis Patriæ, quiete cincta:
Nec grando rapidis furit procellis.
Et quamvis ROSA fronde spargat umbras,
Hac sub nube modestiæ, latere
Nescit Purpura Principalis Ostri.
Majorum rutilat decore virtus,
Claro Sanguine Nomen, ac Imago.
Regni tincta rubet, nitetquè forma

Qualem nec Scythici cavant Triones.
Regum Nomina Principumq; florent
His inſcripta ROSIS, patentquè laudes:
Immortale decus vireſcit ævo,
Languentis Patriæ, ſub hac amænâ
Et Pax atquè ſalus, quieſcit umbrâ.
Sub Cælo *roſeo* tepentis auræ,
In Regno, Procerum nitent *Coronæ*.
Stipatur violis gravis ſenectus,
Parnaſſo reſonant novæ Camænæ,
Sub lauris Pietas triumphat alma.
Stillat Cecropijs favis *Roſetum*,
Noſtro mellea ſæcla Virginales
Conteſtantur apes veniſſe Regno.
Fortes CAPREOLI potente cornu
Defendunt Patriæ Statuta jura:
Vt pugnent animoſiore Marte,
Cæleſtis *Capricornus* addit arma.
Illos Turcica Luna pertimeſcit,
Et claudit tremulum jubar Dianna:
Nôrunt vincere fortiore cornu.
Rugitu nequè Balthici Leones,
Terrent armigeros; nec arte Mavors
Poſſet carpere *vellus* hoc Polare.
Quis præconia ſufficit referre
Tantis Numinibus per Orbis Aras?
Aût quis digna *Roſis* dabit trophæa?
Quot clarent folijs *Roſæ*, decoræ,
Tot Regni Clypei nitent & haſtæ,
Tot munimina firma Martis adſunt,
Tot fulgent Patriæ, novæ CORONÆ.

In Roseam Celsissimæ Domûs SZEMBECIANÆ Majestatem, & PRO-REGIAM CORONAM, Triumphalis Applausus.

ODE.

PAnde Flora veris hortos!
Prata compta rideant:
Aura lenis impleatur
Atticis odoribus.
Convoca *Florum Senatum*!
Certet altis vultibus!
Sol tenellas pungat herbas!
Clariore lumine:
Imperatrix ecce Florum
Cytheræa prominet;
Obvias da Flora pompas
Cincta pulchro germine.
Principales atquè læti
Convolate flosculi!
Erigentes elegantem
Regiæ *Rosæ* thronum.
Splendeat gemmis Hydaspes!
Hybla fumiget thymô:
Et Thetys rubris adornet
Tramitem coralijs.
Nympha jungat dulce Carmen,
Fluctibus sonantibus!

Et Camænæ serta nectant
  Frondibus virentibus.
Auream legat *Coronam*
  Flava Narcissi Coma!
Et Peoniæ decorent
  Fulgurantem Purpuram.
Herculis clavas remonstrent
  Aphrodisiæ Citri,
Cedrus alta vallet Augem!
  Sceptra formet lilium.
Scipiones Palma reddat!
  Spina pungat barbaros:
Vellus Aureum coronent
  Astra puro sidere.
Fulgidis pompis CORONA
  Splendeat PROREGIA:
Et Supremo dignitatum
  Elevetur vertice.